# RECTOR ET SENATVS

S. D.

# CIVIBVS.

---

Superioris hiemis lectiones indicantes praefationis loco de interpretandis Caesaris commentariis dicere coepimus in iisque nonnullas res ita commemoratas esse ostendimus, ut scriptor earum mentionem iam ante fecisse aut factam a se putasse videatur. Quae cum tamen nulla facta sit, mirari licet, qua ratione talem negligentiae speciem an culpam contraxerit. Negligenter enim agere sine dubio videtur is, qui relata legatorum oratione aliqua in referendis responsis aliquid dictum ab illis significat, cuius in ipsorum verbis qualia rettulit, vestigium est nullum; nec minus is, qui, postquam milites et calones iumentaque ex castris emissos enumeravit, quid emissi fecerint narrans etiam equites aliquid fecisse narrat, quos una cum illis emissos non ostenderat. Atque his duobus superioris praefationis p. 7 et 8 significatis sedecim alia rerum suo loco praeteritarum, quemadmodum scriptor belli Hispaniensis c. 10 § 1 et Velleius Paterculus 2, 68 § 1 loquuntur, ibidem interiecta sunt exempla, non omnia illa pariter illustria aut parem negligentiae speciem praebentia et tamen omnia ita comparata, ut de ratione praetermissionis quaerere lectorem iubeant. Qua in re cum erroris commissi falsaeque memoriae suspicio propter locorum propinquitatem existere non facile possit, quippe quorum unus, in quo mentio rei fieri debebat, ab altero, in quo facta est, parvo plerumque intervallo distet, consilio et iudicio scriptor ita fecisse existimandus est. De hoc iudicio autem aliter nobis sentiendum erit, si memoria potissimum usum, aliter, si praesidio litterarum instructum confecisse eum commentarios statuerimus. Illo enim posito negligentiam per se

ipsam probasse deditaque opera speciem eius captasse et rerum ordinem eum, quem mente compositum intueretur, consulto perturbasse videbitur: hoc sumpto videri poterit primae rerum scriptionis tenorem relegens et uberius scilicet paulo post, quam gestae essent, conscriptas aliquot annis interiectis contrahens quae ibi bis terque scripta exstarent, ea semel tantum posuisse partim brevitatis studio, partim quod perspicuitati nihil timeret in lectore attento et qui consuetudinem scriptoris discere vellet ac posset. Talis primae scriptionis indicia etiam alia multa nobis iam dudum observasse et quasi manibus tenere videbamur, cum vana esse omnia sero didicimus et poenas levitatis dedimus iuveni doctissimo Carolo Nipperdey, qui in quaestionum criticarum seu Caesarianarum editis ab ipso ante hos quattuor annos commentariis omnibus praemissarum introitu summa cum gravitate rationes nostras explosit. Ac primum quidem Servii testimonio nihil tribuendum fuisse docuit. Is enim ad Virgilii versus Aen. 11 743 sq. *Dereptumque ab equo dextra conplectitur hostem Et gremium ante suum multa vi concitus aufert* adscripsit haec: *Hoc de historia tractum est. Nam C. Iulius Caesar cum dimicaret in Gallia et ab hoste raptus equo eius portaretur armatus, occurrit de hostibus qui eum nosset, et insultans ait: Caesar, Caesar, quod Gallorum lingua dimitte significat. Et ita factum est, ut dimitteretur. Hoc autem ipse Caesar in Ephemeride sua dicit, ubi propriam commemorat felicitatem.* Haec nobis narratio mira, at neutiquam incredibilis, res autem eiusmodi visa erat, quae si scripta a Caesare esset, in ephemeridibus potius, quam in commentariis scripta iudicari deberet, ideoque vestigium hoc ipsarum ephemeridum proprie dicendarum superesse putaveramus. Obversabantur enim animo nostro haud minus memorabilia facinora illa Caesaris a Suetonio in eius vita c. 58 relata, cum ad arcessendas Brundisio copias clam noctu parvulum navigium solus conscendisset, cum Gallico habitu per stationes hostium ad obsessa suorum castra penetrasset, cum per se portus et navigationem et accessum ad Britanniam priusquam exercitum transveheret, explorasset, quorum nihil ab ipso in commentariis memoriae proditum est; et horum aliorumque ab aliis de eo relatorum comparatione cum iis, quae ipse scripsit, instituta normam quandam adepti nobis videbamur, qua quid in publicum edendum, quid silentio praetermittendum putasset, diiudicare possemus, eaque fiducia ducti Caesarem in commentariis felicitatem quidem suam in gerenda re publica conspiciendam praedicare, sed de suis singulatim periculis et casibus sive

religione quadam impeditum, sive ne quid temere nimisve fortunae obnoxius egisse videretur, verba non facere dixeramus. Temere. Quid enim? *Hoc, ni fallor,* inquit, *quisque videt, Caesarem tam insignem atque admirabilem rem, si ei accidisset, in commentariis non fuisse praetermissurum.* Atque eadem fere subtilitate rem ipsam incredibilem esse demonstravit: *Hoc igitur credibile est, Gallum, cum popularem Caesar, Caesar clamantem audiret, de dimittendo potius quam de imperatore Romano, contra quem pugnabat, cogitasse? aut, cum eundem exultantem videret, laetitiae significatione ad dimittendum hortari putasse? Nam de mirabili illo casu, quo Caesaris nomen Gallis dimittere significasse dicitur, nihil dicam.* Nos vero plane quid homo Gallus ignotum sibi hominem Romanum captum secum portans voce illa audita in strepitu ac tumultu pugnae cogitare non potuisset, ignoraveramus neque laetitiae significationem animadverteramus, quam ille in Servii verbis latentem virgula aliqua divina adiutus nobis detexit. Sic igitur omnia quam diligentissime perscrutatus quid posthac statuendum sit, ostendit: *Tota res a nugatore conficta est, qui, ut fidem ineptiis adderet, impudenter haec in ephemeride Caesaris legi affirmavit hoc est in commentariis. Eos enim inferiore aetate ita appellatos esse, etiamsi a Symmacho discedamus, ex codicibus nostris constare postea monebo.* Nihilo melius nobis res cessit in Suetonio; cuius de Caesaris ephemeridibus silentium cum ita interpretari voluissemus, ut eas nunquam a quoquam publici iuris factas esse, Suetonium autem in enumerandis eius scriptis ea tantum, quae relicta ab eo essent vel exstarent vel ferrentur, hoc est, quae essent publici iuris facta, respexisse diceremus, statim aliud nos dixisse, aliud sensisse intelleximus, ubi haec ab illo referri de nobis vidimus: *Suetonium, qui de scriptis Caesaris accuratissime refert, nihil de eiusmodi libro inaudivisse, eius autem famam pervenisse ad Servium credibile ei visum est.* Minime enim ita senseramus, Suetonium nihil de tali libro audivisse, sed si vel maxime audisset, mentionem eius praetermittere debuisse. Sed rei alicuius a Suetonio praetermissae famam ad Servium pervenire potuisse, id re vera et crediderámus et nunc quoque, nisi ille vetaret, crederemus. Quamquam post ea, quae tertio loco nos docuit, verendum est, ne in eo simus, ut omnia credamus. *Nam quid non,* inquit, *ei credibile videretur, qui Caesarem omnes res statim, postquam gestae essent, in ephemeridibus perscripsisse et tamen, modo ne singulis diebus ephemerides scriptae viderentur, in commentariis inde compositis memoriae errore quaedam perperam edere potuisse* (*quod*

*Asinium Pollionem affirmasse Suetonius vit. Caes. c. 56 refert) non solum ipse credidit, sed etiam aliis se persuasurum esse confisus est?* Scilicet memoria lapsum Caesarem in commentariis perperam quaedam edidisse ab Asinio Pollione iudicatum esse memineramus atque hoc iudicium nihil obstare existimabamus, quo minus ephemerides habuisse Caesarem et cognitum id Asinio fuisse statueremus, cum etiam in ephemeridibus, modo ne singulis diebus scriptas credamus, id quod in bello ne potuit quidem semper fieri, perperam aliquid memoriae errore poni, ex ephemeridibus autem septem annis post commentarios concinnanti et, ut necesse erat, alia amplificanti, alia contrahenti facile falsum pro vero occurrere potuerit. Nondum enim sciebamus ephemerides scribentem memoria labi non posse, utentem ephemeridibus ab errore immunem esse, et Asinium quoque Pollionem putabamus id nescisse eamque ob causam non necessarium esse, ut in commentariis memoria lapsum Caesarem indicans existimasse videretur nullas eum ephemerides habuisse. Supersunt duo oscitationis nostrae documenta in uno Hirtio edita unaque comprehensione ab illo notata: *Quam inepte autem Hirtius epist. ad Balbum* § 6 *Caesarem commentarios celerrime facillimeque composuisse praedicaret, si is omnia iam habuisset in ephemeridibus perscripta, quamque perverse idem* § 8 *quereretur sibi res Alexandrino et Africano bello gestas sermone tantum Caesaris ex parte notas esse, si ephemeridibus a Caesare in ipso bello compositis uti potuisset, ne animadvertit quidem. An latuisse eos libros familiarissimum Caesaris neque ei his uti concessum fuisse, aut Caesarem in Gallia ephemerides composuisse, postea supersedisse existimavit?* Quibus verbis plura malefacta nostra continentur, quam quis primo adspectu putet. Primum hoc est, quod in iudicio de Caesaris commentariis faciendo non maiorem existimationis Hirtianae, quam commentariorum ipsorum rationem habuimus atque de his statuere aliquid ausi sumus, quo ille videri posset inepte aliquid dixisse. Secundum, quod ephemerides in commentarios redigendi negotium tanti fecimus, ut non solum bene atque emendate, sed etiam facile atque celeriter perfectum admirationi esse homini fortasse non inepto posset. Tertium, quod non reputavimus apud nos quidem reperiri qui partem aliquam vitae suae in ephemerides referant, deinde facere id negligant, apud Romanos autem qui semel scribere ephemerides coepisset, eum usque ad finem vitae continuare eas oportuisse. Quartum, quod fieri potuisse non diximus (nam ut verum fateamur, nihil ea de re cogitaveramus) sed tamen non negavi-

mus fieri potuisse, ut, etiamsi Caesari per Alexandrinum atque Africum bellum continuare ephemerides placuisset idque Hirtium non latuisset, tamen aliqua de causa vel superstite Caesare vel sublato amissis uti Hirtio non liceret. Iam penitus everso fundamento, quod locis illis octodecim et multis aliis interpretandis iecisse opinabamur, nihil relinqui videtur nisi ut ea, quam Carolus Christianus de Leutsch in aureo de Belgis Caesaris libello ingressus est, via fortiter insistentes omnes ineptias istas monachis et magistris redhibeamus.

---